

Forma iuramenti: Ego N. iuro fideliter et diligenter exactiones civiles hic laudatas in tota terra Cracoviensi de omnibus bonis: primum regalibus, reginalibus ac domini ducis Sigismundi dominorumque archiepiscoporum, episcoporum necnon palatinorum, castellanorum et totius communitatis nobilium in terra ipsa Cracoviensi existentibus, tandem de omnibus aliis quorumlibet regnicolarum bonis in terra existentibus, nulli personae favendo vel excedendo statutum, sed sic exigendo, ut statutum<sup>s</sup> est, exigam et servabo. Cum primum de exactionibus una vel de omnibus collegero pecunias, eas sine negligentia<sup>t</sup> fideliter et integre in manus magnifici Jacobi de Schydlowycz Regni Poloniae thesaurarii, et nemini alteri, in parte vel in toto datus sum. Nec ad quietantias, sed integre servando, pecunias exactas datus sum. Si quem intellegero in solutione exactionum aut negligentem aut contravenientem solutioni, illum Maiestati Regiae defferam, ac dominis cum sua Maiestate ad ordinaria consilia in curia suae Majestatis pro tempore existentibus intimabo et notificabo, omniaque in exigendis eisdem exactionibus fideliter et diligenter faciam, quae haec in conventione sunt decreta, quaeque in litteris universalibus videro descripta esse. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Crux.

Sub eadem forma volumus ut exactor a consulibus et notario ad praemissa deputatis corporale ad signum sanctae Crucis recipiat iuramentum in civitatibus et oppidis terrae predictae, mutatis in iuramento mutandis, loco bonorum regalium etc, oppidum, oppidanos ac exactorem exprimendo.

Quocirca tibi magnifico Nicolao de Camyenycz, castellano Sandomiriensi et capitaneo Cracoviensi et capitanis aliis pro tempore existentibus committimus mandantes, ut predictam constitutionem et ordinationem supradictae exactionis dimidia civilis exigendae diligenter custodias, daque operam ut ad tempora descripta integre per exactors designatos colligatur. In negligentes vero suprascriptae ordinationi nostrae et consiliariorum nostrorum satisfacere adhibeas, modos pignorationis et alios ad extorquendum quod debetur excogitas et inventos tibi Reipublicae incolumentis cara est et gratia nostra, aliter facere non ausurus.

Datum in conventione generali Radomiensi, feria quarta proxima post octavas Corporis Christi anno eiusdem millesimo quingentesimo quinto [4 VI 1505], Relatio ut supra<sup>3</sup>.

#### **IV. ALEXANDER REX INSERI MANDAT PRIVILEGIUM IUDAeorum, CONCESSUM OLIM A BOLESLAO DUCE**

Privilegium libertatis et iuris iudeorum, per Boleslaum Ducem Maioris Poloniae, proavum Casimiri Magni Poloniae Regis in Calissia in crastino Assumptionis Virginis Mariae [16 VIII] anno Domini MCCLIV editum, tandem Cracoviae in die Beatorum Dyonisii et sociorum eius [9 X], anno Domini MCCCXLIII per dictum Magnum Casimirum Regem Poloniae et eiusdem Boleslai pronepotem confirmatum, <sup>a</sup>quod Nos Alexander Rex non confirmando confirmatione speciali, sed ad cautelam defensionis contra iudeos privilegiis Regni in istum codicem congestis adscribi mandavimus<sup>a</sup>; sic ut eius sequitur tenor:

In Nomine Domini, Amen. Ne decreta Regia cum fluxu temporis a memoria deciderent hominum, digne prudentium ratio stabilivit cum ea apicibus futurorum notitiae voluit jugiter commendare. Quapropter Nos Casimirus Dei gratia Rex Poloniae, necnon terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciae, Cuiaviae, Pomeraniaeque dominus et heres, notitiae universorum tam praesentium quam futurorum praesentibus declaramus, quod cum nostram nostrorumque baronum praesentiam accedentes viri idonei, nostrique fideles iudei terrarum nostrarum nobile privilegium Duci Boleslai, divae memoriae quondam Duci Poloniae proavi nostri charissimi, super iuribus suis ostendissent, supplicarunt humiliter, ut ipsum privilegium nostro Regio insignio innovare et confirmare dignaremur, privilegii aut eiusdem de verbo ad verbum

<sup>s</sup> W rękopisie: statutum.

<sup>t</sup> W rękopisie, tu i poniżej: negligientia.

<sup>a-a</sup> Słowa te pochodzą od kanclerza Łaskiego. Por. J.W. Bandtkie, *Ius Pol.*, s. I, przyp. I.

<sup>3</sup> Dalej następuje tytuł: Exactio sex grossos i początek tekstu: Alexander Dei gratia Rex Poloniae, Lithuaniae, Russiae, Prussiaeque dominus et haeres, ale na tym rękopis się urywa.

tenor talis extat. <sup>b</sup>In Nomine Domini Amen. Humani generis actiones nisi vigeant voce testium aut testimonio litterarum celeriter transeunt et prorsus a memoria relabuntur, igitur Nos Boleslaus Dei gratia Dux Maioris Poloniae notum facimus tam praesentibus quam futuris, ad quorum notitiam devenerit praesens scriptum, quod iudeis nostris per totum districtum nostri dominii constitutis eorum statuta et privilegia quae a nobis obtainuerunt, de verbo ad verbum prout in sequenti serie continetur, taliter duximus declaranda.

[1]. Christianus non debet admitti ad testimonium contra iudeum, nisi poterit probare per iudeum et Christianum<sup>c</sup>.

Primum quidem statuimus: ut pro pecunia aut pro quacunque re mobili vel immobili, aut in causa criminali quae tangit personam aut res iudei, nullus Christianus contra iudeum nisi cum christiano et iudeo in testimonium admittatur.

[2]. Si christianus pro pignoribus citat iudeum et ille non confitetur, iudeus per iuramentum evadat.

Item si Christianus iudeum impedit asserens quod ei pignora sua obligaverit, et iudeus diffitetur et Christianus iudei simplicibus verbis fidem noluerit adhibere, iudeus iurando super aequivalente sibi oblato suam intentionem probabit et transeat absolutus.

[3]. Si pro minori pecunia asserit christianus quod iudeo pignus obligavit, iudeus per iuramentum probabit.

Si christianus obligaverit iudeo pignus, asserens quod iudeo pro minori pecunia obligaverit quamque iudeus confiteatur, iurabit iudeus super pignore sibi oblato et quod iuramento probaverit christianus ei solvere non recuset.

[4]. Si iudeus dicat christiano se aliquid mutuasse, christianus se iuramento expurgabit.

Item si iudeus christiano testibus non assumptis dicat se pignus mutuasse, et ille negaverit, super hoc christianus solius sui iuramento se expurget.

[5]. Iudeus pro pignore omnia potest recipere exceptis vestibus sacris et madefactis sanguine.

Iudeus recipere poterit nomine pignorum omnia quae sibi fuerint obligata, quocunque nomine vocentur, nulla de his requisitione facta, exceptis vestibus sanguinolentis madefactis<sup>d</sup> et sacris vestibus quas<sup>e</sup> nullatenus acceptabat.

[6]. Item iudeus contra christianum iurabit quod nesciebat pignus furatum aut violenter ablatum dum obligabatur ei, sic ergo se purgat.

Item si christianus impediret iudeum, quia pignus quod iudeus habet, ei furtim vel per violentiam sit ablatum, iudeus iuret super illo pignore, quod cum recepit, furtim ablatum vel raptim ignoraverit, hoc in suo iuramento implicito quanto sit pignus huiusmodi obligatum probabit, et sic expurgatione facta christianus sortem et usuram ei persolvet, quae medio tempore accreverunt.

[7]. Si christianus aliquid apud iudeum impignoravit et iudeus suum cum illo amisit iurabit iudeus et absolvetur a petitis.

Si autem iudeus per casum incendii aut per furtum aut per vim res suas cum ablatis sibi pignoribus amiserit et hoc constiterit et christianus qui hoc obligaverat; nihilominus eum impedit, iudeus iuramento se proprio absolvet.

<sup>b</sup> Od tego miejsca rozpoczęt edycję tego przywileju KDWp, t. I, nr 605 (412 a), s. 563-566. Jest to bezpośredni przedruk z Ius Pol.

<sup>c</sup> Tytułki pochodzą z Łaskiego, za którym powtórzył je Konarski w VL. Natomiast obydwa te wydawnictwa nie numerowały poszczególnych przepisów przywileju. Numerację zamieścił, natomiast tytułki pominął KDWp.

<sup>d</sup> et madefactis KDWp.

<sup>e</sup> quas judeus KDWp.

[8]. Civitas nihil habet agere cum iudeis, nisi princeps vel palatinus, pro reatu vero personae solus princeps iudicabit.

Item si iudei inter se de facto discordiam moverint, aut guerram, iudex civitatis nostrae nullam jurisdictionem sibi vindicet<sup>f</sup> in eosdem, sed Nos tantummodo aut noster palatinus vel eius iudex iudicium exercebit; si autem reatus vergit in personam, nobis tantummodo hic casus reservabitur iudicandus.

[9]. Item pro vulnere iudei poena debetur principi et palatino iuxta arbitrium et solutio pro curatione laeso.

Item si christianus iudeo vulnus qualitercumque interfligit, reus nobis et nostro palatino poenam solvat, secundum quod nostram gratiam poterit invenire nostrae camerae deferendam; et vulnerato satisfaciat pro curatione vulnerum et expensis, ut iura terrae nostrae requirunt et exigunt.

[10]. Pro capite iudei poena debetur principi videlicet confiscatio bonorum.

Item si christianus iudeum occiderit, digno iudicio puniatur, et omnia rei mobilia et immobilia in nostram transeant potestatem.

[11]. Pro plaga vel percussione iudei non sanguinolenta poena debetur palatino et laeso satisfactio.

Item si christianus iudeum ceciderit, ita tamen ut sanguinem non effundat, per palatinum requiretur secundum terrae nostrae consuetudinem ab eodem, et percuesso seu laeso satisfaciat, quemadmodum in terra nostra est consuetum. Si vero pecuniam habere non poterit, idem pro commisso, sicut iustum fuerit, punietur.

[12]. De teloneo a iudeis exigendo.

Ubiunque iudeus dominium nostrum transierit, nullus ei aliquod impedimentum praestabit nec molestiam inferat aut gravamen. Sed si aliquas merces aut aliquas res duxerit, muta debeat ex eis provenire per omnia mutarum loca; et sic quoque ipse iudeus non nisi debitam solvat mutam, quam solveret unus civium civitatis illius, in qua iudeus eo tempore commoratur.

[13]. De ductione iudeorum mortuorum.

Si iudei iuxta suam consuetudinem aliquem ex mortuis suis aut de civitate in civitatem, aut de provincia in provinciam, aut de una terra in aliam deduxerint, nihil ab eis per mutarios nostros volumus extorqueri. Si autem mutarius aliquid extorserit, ut praedo volumus puniatur.

[14]. De dissipatione caemeterii<sup>g</sup>.

Item si christianus caemeterium eorum quocunque modo dissipaverit aut invaserit, volumus ut secundum terrae nostrae consuetudinem et iura graviter puniatur, et omnia sua nostrae camerae proveniant, quocunque nomine nuncupentur.

[15]. Pro violentia scholae iudeorum.

Si aliquis temerarie iactaverit super scholas iudeorum, nostro palatino duo talenta piperis volumus ut solvat.

[16]. Item de poena iudicis contra iudeum.

Item si iudeus iudici suo in poena pecuniaria, quae *vandel*<sup>h</sup> dicitur reus inventus fuerit, poenam talenti piperis quae ab antiquo est imposta solvat eidem.

<sup>f</sup>vindicet *VL*.

<sup>g</sup> coemeterii *Bandtke*; cimeterii *KDWp*.

<sup>h</sup> *wandel Bandtke*; *vandil KDWp*.

[17]. De contumacia iudei, qua poena puniatur.

Si iudeus per edictum sui iudicis vocatur ad iudicium, et primo et secundo non venerit, pro utraque vice poenam que consueta est ab antiquo persolvat. Si ad tertium edictum non venerit, poenam quae sequitur solvat iudici memorato.

[18]. Si iudeus iudeum vulneraverit, poenam iuxta terrae consuetudinem iudici solvet.

Item si iudeus iudeum vulneraverit, poenam iudici suo secundum terrae nostrae consuetudinem solvere non recuset.

[19]. Qualiter iudei iurare debent.

Statuimus quod nullus iudeus iuret super rodale<sup>i</sup> ipsorum, nisi sit pro magnis causis, quae se extendunt usque ad quinquaginta marcas argenti, vel sit ad nostram praesentiam evocatus. Pro minoribus vero causis iurare debet ante scholas, ad<sup>j</sup> ostium dictae scholae.

[20]. De occulta iudei interfectione.

Si iudeus clam fuerit interfectus ut<sup>k</sup> per testimonium contestari non possit is qui eum interemit, si post inquisitionem suspectum<sup>l</sup> habere caeperint iudei, Nos iudeis contra suspectum iudei occisorem patrocinium iustitiae adhibebimus, iure mediante rei.

[21]. De violentia manuali in iudeum, ius terrae poenam et iudicium docet.

Item si Christiani alicui iudeo manum iniecerint violentam, secundum quod ius terrae nostrae exegerit punientur.

[22]. De potestate iudicis.

Item iudex iudeorum nullam causam ortam inter iudeos in iudicium ducat, nisi fuerit per querimoniam invitatus. Item iudei circa scholas, vel ubi elegerint, debent iudicari.

[23]. De accrescentia usurarum.

Item si a iudeo Christianus pignus suum absolverit ita<sup>m</sup>, quod usuras non persolverit, easdem si infra mensem non dederit, illis usuris accrescant usurae.

[24]. De hospitatione iudei.

Item nullum volumus in domo iudei hospitari.

[25]. De litteris et possessione bonorum immobilium.

Si iudeus super possessiones aut litteras bonorum immobilium pecuniam mutuaverit, id quoque ille cuius res est probaverit. Nos iudeo et pecunias et litterarum pignus abiudicari statuimus.

[26]. De iudeorum pueris.

Item si aliquis vel aliqua puerum iudeis abduxerit, volumus condemnetur ut fur.

[27]. De potestate iudicis.

Item si iudeus receperit a christiano pignus et per spatum anni tenuerit, si pignoris valor mutuatam pecuniam non excesserit, iudeus iudici suo pignus demonstrabit; si vero pignus bonum non fuerit, palatino nostro vel suo iudici ostendet, vel postea vendendi habebit libertatem, si idem pignus, antequam annus transierit, suo iudici demonstrabit. Si quidem pignus apud iudeum diem et annum remanserit, nulli super hoc postea respondebit.

<sup>i</sup> rotale VL. Poprawiono za poprawniejszą wersją Bandtkiego.

<sup>j</sup> ante Bandtkie, KDWp.

<sup>k</sup> et KDWp.

<sup>l</sup> factam aliquem suspectum KDWp.

<sup>m</sup> Brak w VL.

[28]. Iudaei non iudicentur die feriata.

Volumus, ut nullus iudeum super solutione pignorum in suo feriato die audeat coarctare.

[29]. De ablatis pignoribus iudaeis per aliquem.

Item quicunque christianus per vim abstulerit pignus suum a iudeo, aut violentiam in domo sua exercuerit, ut dissipator nostrae camerae graviter puniatur.

[30]. Item in scholis iudicentur eorum excessus.

Item contra iudeum non nisi in scholis, vel ubi iudicantur omnes iudei, in iudicio procedatur; exceptis nobis et nostro palatino, qui eos possumus ad nostram praesentiam evocare.

[31]. De impetitione iudaei per christianum pro pueru interempto.

Iuxta constitutiones Papae, in nomine nostri Patris Sancti, districtius prohibemus, ne de cetero iudaei singuli in nostro dominio constituti debeant culpari, quod humano utantur sanguine, cum iuxta praeceptum legis, ab omni prorsus se iudei contineant universi. Sed si aliquis iudeus de occisione alicuius pueri Christiani per Christianum fuerit inculpatus, tribus Christianis et totidem iudeis convinci debet; et postquam convictus fuerit, tunc ipse iudeus tantummodo poena, quae sequitur puniatur crimine pro commisso. Si vero ipsum testes supradicti et sua innocentia expurgabit, poenam christianus quam iudeus pati debuerat, pro calunnia non immerito sustinebit.

[32]. Aequalis pecunia sive debitum semper iudeo responderi debet cum usura sive in auro sive in argento.

Item statuimus, ut quidquid iudeus mutuavit sive aurum fuerit, denarii, sive argentum, idem sibi solvi vel reddi debet cum usura debita quae accrevit.

[33]. De equis obligatis.

Volumus ut iudei equos qualescumque generaliter omnes manifeste atque in luce diuturna pro pignore recipiant. Si autem aliquis equus apud iudeum furatus per Christianum aliquem inveniretur, iudeus se iuramento proprio expurgabit, dicens quia eundem equum manifeste et in die pro tali quam dedit pecuniam<sup>n</sup> impignoratum habuit et credebat non furatum.

[34]. De falsa moneta querenda.

Item inhibemus<sup>o</sup>, ut monetarii in nostro dominio constituti, iudeos cum falsis denariis vel rebus aliis soli absque nostro nuntio vel nostri palatini seu absque civibus honestis, quoquo modo detinere vel capere non praesumant.

[35]. De clamore iudei in nocte pro violentia.

Statuimus, quod si iudeus aliquis compulsus nimia necessitate noctis tempore clamaverit, et si vicini christiani praestare non curaverint auxilium opportunum, nec venerint ad clamorem quilibet vicinus suus christianus triginta solidos teneatur.

[36]. De comparatione et emptione victualium.

Statuimus etiam, ut iudei vendant omnia libere et emant, panem tangent, similiter ut christiani; prohibentes<sup>p</sup> vero poenam nostro palatino pro eo solvere tenebuntur.

Et ut omnia quae praemissa sunt perpetuae robur obtineant firmitatis, praesens instrumentum cum testium annotatione ipsis pro cautela dedimus cum sigilli nostri munimine roboratum. Huius vero rei testes sunt: comes Arbeldus<sup>q</sup>, palatinus Calissiensis, comes Simon<sup>r</sup> castellanus Gnesnensis, comes Johannes Calissiensis<sup>s</sup>, comes Mathias castellanus Lendensis, comes

<sup>n</sup> pecunia *KDWp*.

<sup>o</sup> inhibemus *KDWp*.

<sup>p</sup> prohibemus *KDWp*.

<sup>q</sup> Archamboldus *KDWp*.

<sup>r</sup> Poprawiono za wersją *KDWp*. *Bandtkie i VL*: similiter.

<sup>s</sup> Poprawiono za wersją *KDWp*. *Bandtkie i VL*: comes Jankalis.

Czchoslaus<sup>t</sup> pincerna Calissiensis, comes Derslaus venator Lendensis, cum aliis quam pluribus baronibus terrae nostrae. Actum in civitate Caliss in crastino Assumptionis Beatae Mariae Virginis [16 VIII], anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, octavo [*sic*] Calendas septembbris<sup>u</sup>.

Nos igitur iure ipsorum diligenter considerato et inspecto statuto praedecessorum nostrorum confirmare eo magis quam monere aliqualiter decernentes benemeritis ipsorum desideriis favorabiliter inclinati, exnunc praedicta omnia innovamus, roboramus et ratificamus in titulum perpetuae firmitatis, in horum autem evidentiam praesen[te]s sunt nostro sigillo insignitae. Actum Cracoviae die Beatorum Martyrum Dyonisii et Sociorum eius [9 X], anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quarto. Praesentibus his nobilibus nostris: Spicimiro castellano Cracoviensi, Niszczynio Sandomiriensi, Nicolao palatino Cracoviensi, Andrea venatore Krzywosande, succamerario Cracoviensi et aliis multis fide dignis. Datum per manus Sbignei praepositi et cancellarii nostri Cracoviensis.

**V. ALEXANDER REX CONSuetudines TERRAE CRACOVIENSIS  
CORPORI IURIS ADSCRIPTAS ET APPROBATAS CONFIRMAT<sup>i</sup>**

Quamvis Nos Alexander Rex praescripserimus superius passus ac privilegia iustitiae communis per olim praedecessores nostros Duces atque tandem Reges Poloniae ad iustitiam communiter ministrandam regnolis in isto inclito Regno Nostro concessa, sub tempore quibus cum iudices terrarum iustitiam et negotia iudicia absolvere dirigereque consueverint, tamen quia ultra haec quaelibet terrarum suas speciales habere consuevit consuetudines, idcirco terrae Cracoviensis eas quae in ipsa approbatae sunt praesentium communi iuris terrestris Regni Nostri corpori adscriptimus easque approbavimus et pro iure perpetuo tenendas decrevimus, adscribimusque approbamus et decernimus praesentium per tenorem, quae quidem consuetudines inscriptae sequuntur.

[1]. <sup>a</sup>De inscriptione castrensi<sup>a</sup>.

Item dum aliquis inscribit alicui in iudicio castrensi inscriptionem et promiserit inducere in librum terrestrem aut regalem et non compleverit ad tempus prout se inscripsit succumbens poenam iudicio trium marcarum et totidem parti; istud facere teneatur, quod in iudicio castrensi inscripsit.

[2]. <sup>b</sup>Casus de minorenibus pueris iudicandis<sup>b</sup>.

Item cum aliquis bona haereditaria vendet aut obligabit sive impignorabit alicui et inscribet se pro defensione, et in hoc privaretur vita, filii eiusdem defuncti debent tueri residentem in bonis haereditariis, et si annos discretionis non haberent non debet dari eis ad annos discretionis.

[3]. <sup>c</sup>De bonis minorenibus pueris resignatis per pueros non inscribendis<sup>c</sup>.

Item quemadmodum ex statuto communi tutores tenentur resignare bona puerorum dum habebunt annos quindecim, pueri vero bona sua accipiendo uti debent eis, sic nihilominus iure sit provisum, prout fieri consuevit, quod ipsi pueri bona vendere obligareque non debeant, sine consensu amicorum consanguineorum donec habebunt annos viginti quatuor transactos.

<sup>a</sup><sup>a</sup> O za pysze groczkiem Dzik.

<sup>u</sup> Tu kończy się przedruk w KDWp.

<sup>a</sup><sup>a</sup> O za pysze groczkiem Dzik.

<sup>b</sup><sup>b</sup> Przytheče o sądzenyw dzyczy lyath nyemayączych Dzik.

<sup>c</sup><sup>c</sup> O ymyenu wzdanem dzyczyom miodem przez dzyczy nyezapyszanem Dzik.

<sup>i</sup> Tekst ten, przejęty z niedochowanej do dzisiaj podstawy źródłowej, wydrukowany został w Statucie Łaskiego na k. 120-124. Jego polski przekład z rękopisu tzw. Dzikowskiego wydał drukiem F. Piekosiński (Archiwum Komisji Prawniczej AU, t. III, Kraków 1895, s. 164-171). Nosi on tam tytuł: Zwyczaje zyemye krakowskiey ku statutom zyemszkyem przypyssane y doszwyathczone. Cyt. poniżej w skrócie: Dzik.